

## No. 7. 1270. 20. Aug.

*Markgraf Dietrich von Landsberg ertheilt dem Schultheiss und den zwölf Consuln die Befugniss, gegen Ruhestörer, Uebertreter der städtischen Willküren und sonst Widerspenstige Freiheitsstrafen und Arrest zu verfügen oder dieselben ihm selbst zur Bestrafung zu überweisen.*

Th. dei gratia marchio de Landisbere universis, ad quos praesens scriptum pervenerit, salutem et omne bonum. Notum esse volumus tam praesentibus et futuris, quod de diversis querimoniis nobis saepius prolatis vehementer excitati ad conciscendas rebellium enormitates nec non ad confirmandam pacificam conversationem et quietam habitationem civitatis nostrae Lipzk Symoni scultheto nostro una cum duodecim consulibus largam contulimus cum iudicio potestatem, ut si quis non solum de ipsorum familia sed etiam advena nullo excepto nocturno tempore errabundus non solum mox deprensus sed etiam viris fide dignis infamatus fuerit, nihilominus si quis statuta eorum infregerit aut verbis aut factis in minimo<sup>1)</sup> se recalcitrando opposuerit in omni loco reverenter incedendo, in rebus et corpore mox detinebitur corrigendus aut nostrae adducetur praesentiae strictius iudicandus. Insuper volumus iudicari omnes contra honorem et profectum nostrae civitatis cum violentia laborantes. Ut autem haec praescripta efficaciam obtineant in futuro, praesentem litteram in testimonium sigillo nostro fecimus roborari. Datum Lipzk anno M<sup>mo</sup> CC septuagesimo XIII<sup>mo</sup> Kal. Septembris.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem zerbrochenen Reitersiegel an einem Pergamentstreifen.

1) Or. *inimio*.

## No. 8. 1273.

*Markgraf Dietrich von Landsberg eignet der Stadt das Münzwerk, die Grube genannt.*

Theodericus dei gratia marchio de Landisberch universis hanc litteram inspecturis salutem in perpetuum. Multitudo tractatum, varietas temporum sic humanam infirmant memoriam, ut plerumque ea quae geruntur in tempore oblivionis obfuscantur caligine, nisi scripturarum testimonio et subscriptione testium fuerint stabilita. Nos igitur huic defectui consulere volentes provide et mature recognoscimus et tenore praesentium publice protestamur, quod ad magnam instantiam burgensium nostrorum de Lipzk opus fabrile monetae, quod grube vulgariter appellatur, post liberam et voluntariam resignationem Johannis Abreckeri, qui receptis centum marcis argenti ipsum in manus nostras dedit solutum, ipsis nostris burgensibus contulimus et civitati praedictae proprietatis titulo perpetuo possidendum, nihil nobis sive nostris heredibus iuris sive emolumentum reservantes, sed omne ius sive proprietatem, quae nobis vel cuiquam in ipso competere videbatur, totaliter in ipsam transtulimus civitatem, nolentes ut quisquam in posterum sibi iuris aliquid vendicet in eodem. Pro eo autem quod in libertatem redegitur idem opus, XXX marcas argenti a burgensibus nostris